# Simonis Pistorii Oppoliensis Silesii,

## Epigrammatum Octernio decimusquartus,

*Omnium virtutum experimento notabili Viro D. Iacobo Reiniovicio, Pastori Ecclesiæ Kiselinensis dignißimo, amico integerrimo,*

dicatus.

Ad Lectorem.

*A sacro, Lector, si non sunt dißona Verbo,*
*Hæc quoque non durâ Carmina fronte lege.*

*Pietate, doctrinâ & eloquentiâ claro Viro,*
Dn. IACOBO REINIOVICIO, *fratri in Domino carissimo.*

OCTERNIONEM novum, numero decimum quartum, imprimendum curavi, IACOBE præstantissime, eumq;, ut pote Theologicum tibi Theologo dedicandum putavi. Quod quidem non tam feci, quòd existimarem rem dignam esse doctissimis auribus tuis, (loquor autem non de materia, quæ sacra est, sed de vena mea Poëtica, quam aridam esse, ipsemet non eo inficias) quàm ut aliquid ad te mitterem, quo testatum facerem amorem erga te meum. Volo enim non solùm teipsum, de quo nihil ambigo, sed omnes etiam scire, te à me plurimum diligi.
Vale.

S. P.

Ad Iacobum Reiniovicium, Virum eruditione & eloquentia singularem, Fratrem in Domino, & symmystam suum cariss.

*Quem candor, quē cana fides commendat, & ardor*
*Servandi* Domini, *docte* Iacobe, *gregis.*
*De Verbi sacris divini fontibus hausta,*
*Quæ vulgata tibi carmina pauca damus,*
*Quâ nos prosequeris jucundâ semper, eâdem*
*Hæc quoq; non durâ fronte,* Iacobe, *lege.*
*Christophorumq; Petrumq;* Stoinia *pectora fratres,*
*Et Tvvardochlebum, quæso, salute bea.*

Vnum est necessarium.

*Quas alii spirant, & res mirantur inanes,*
*Quæ fallunt specie decipiuntq; boni.*
*Hæc ego contemnam, veram sperando salutem,*
*Quam promisisti, maxime* Christe, *mihi.*
*Quicquid in Orbe subest preciosi, quicquid in illo*
*Pulchri est, hoc animus respuat omne meus.*
*Respuat, & sanctæ pietati insistat ubiq;,*
*Sive domi fuerit, seu fueritq; foris*
*Es dare pollicitus quem* Christe *fidelibus ipse,*
*Perpetuò regat hunc Spiritus ille tuus.*
*Te velit, alme, tui desiderioq; trahatur*
Christe, *in te teneat lumina fixa sua.*
*Suspiret loca perpetuæ sperata quietis*
*Semper, & illa adeat, te redeunte polo.*

Ad sanctam Civitatem.

*O nimiùm felix, ô terq; quaterq; beata,*
*Quæ nos expectas, urbs, domus alta Dei!*

*In qua municipes animæ, civesq; futuræ,*
*Cœlica cum Geniis gaudia semper agent.*
*Rex illic Pater omnipotens, venerabile* CHRISTUS
*Maximus est Fanum, Filius ille Dei.*
*Lucis inacceßæ fulgor nitidißimus illic*
*Perpetuâ noctes, Lege, diesq; micat,*
*Vitæ arbos illic, quæ fructus quolibet edit*
*Mense novos; foliis & medicamen inest.*
*Amnis ibi de sede* DEI *promanat & agni,*
*Instar crystalli vivificantis aquæ.*
*Quæ mala nos hîc multa premunt, nihil amplius horũ*
*Est ibi: sed bona sunt omnia, digna* DEO.
*Quemq; usurparunt oculis nunquam antè, supremum*
*Aspicient facie, luminibusq; Deum.*
*O animæ fortunatæ! loca deliciarum*
*Plena! voluptatum mansio sancta* DEI!
*Quàm felix ille est, ibi qui vestigia ponet!*
*Et cui vita illic nescia finis erit!*

## Crebrò orandum.

*Cur non sæpè roges, gaudes qui nomine* CHRISTI,
*A* CHRISTO *jußus sæpè rogare tuo!*
*Namq; rogata tibi seu donet habere Iehova,*
*Et donare idem sive rogata neget.*
*Hoc ipsum spera meliùs tibi deinde futurum,*
*Qui non perspicias quid tibi sit melius.*
*Nempè rogata voluntati committe Supremi,*
*Qui melius norit te tibi quid sit opus.*
*Et sic sive dabit, sive ille rogata negabit,*
*Vndiq; erunt lucrum sæpè rogata tuum.*

## Vbiq; orandum.

*Templa precaturus quid quæris commoda? desine*
*Vt tibi, tu templum scilicet ipse Dei es.*
*Corde precare, locorum ullos ne quære recessus;*
*Numine nil vacuum est, omnia plena Dei.*
*Tecum ora, tecumq; habita; si mente vagaris,*
*Nil agis: ad cordis stat penetrale Deus.*
*Ergo tibi templum si tu es, si deniq; cœlum,*
*Quid quæris sacros ad tua vota locos?*

## Cælum & terram implet Dominus.

*O immense Deus, quem non capit Orbis & Æther,*
*Nec quicquam; nam sunt omnia plena tui.*
*Accipiant ut te, constructa palatia quæ sunt*
*Tanta satis, vel quæ splendida templa satis.*
*Antè fuêre nihil, quæ sunt, tu maxime rerum*
*Semper eras, nunc es, deniq; semper eris.*
*Cæli cælorum sedes tua, terra scabellum,*
*Et suprà quicquid terraq; subtus habet.*
*O cœlum, terramq; tuo qui numine comples,*
*Summe Deus (si fas atq; rogare pium)*
*In me habita, sacroq; tuo me numine comple,*
*Vt templum, ac cœlum sim, maneamq; tuum.*

## Vestis Nuptialis.

*INvitat cunctos ad connubialia Nati*
*Festa Deus; cunctis Regna beata patent.*
*Tanta Dei est bonitas! tàm fervidus ardor in omnes!*
*Quoscunq; hic mundus tàm spaciosus habet.*
*Is Deus invitat gratis, parat omnia gratis*
*Gaudia; sed gratis non dabit illa tamen.*

*Sunt quædam quæ nunc a nobis ille requirat,*
*Parva quidem, verùm grata futura Deo.*
*Quæ si non habeas, tedâ excludêris ab ista,*
*Et miser in Stygiam projiciêre domum.*
*Est deponendus scelerum tibi cento tuorum,*
*Et tunica a vitiis undiq; fœda tuis.*
*Esq; exornandus virtutum veste sacrarum,*
*Quæ deceant sacri publica festa thori.*
*Desine velle impure urbem conscendere sanctam,*
*Desine tu sanctum velle videre Deum!*
*Integer & justus vixdùm servabitur, & tu*
*Vis almâ a culpis fœde salute frui?*
*Virtuti ex pacto debentur præmia tanta,*
*Mors æterna autem turpia facta manet.*

## De futuro CHRISTI Regno.

*O vos læti animos ad sidera tollite cuncti,*
*Non dubiâ colitis qui pietate Deum.*
*Iam veniet quondam prædicta, fidelibus autem*
*Expectata diu, grataq;, summa dies.*
*Quâ genus humanum concussum horrore pavescet,*
*Impia quâ tantus pectora terror aget,*
*Mœsta futurarum quò præ formidine rerum*
*Non expectato tempore, morte ruant.*
*At* CHRISTI *populus tunc adventante salute,*
*Festiva elatâ gaudia mente feret.*
*Nam* CHRISTUS *qui nunc sceptris cum Patre potitur,*
*Et regit imperio cuncta creata suo,*
*Se tunc ille throni de majestate movebit,*
*Iudicis aucturus jura tremenda boni:*

*Dante tubâ ſonitum, totum velociter orbem*
*Hujus replebit nuncia fama rei.*
*Tunc apparebit cum* CHRISTO *tota potente*
*Spirituum caſto numine plena cohors.*
*Quorum operâ cuncti totis de partibus orbis*
*Collecti, ſtabunt judicis ante thronum.*
*Ad dextram Iuſti, ad lævam ſiſtentur Iniqui,*
*Siſtentur pariter, diſpare ſorte tamen.*
*Ad Stygis antra Mali rapientur, in aurea ſancti*
*Aëra, in occurſum, maxime* CHRISTE, *tuum.*
*Hîc dextras dextris, & jungent oribus ora*
*Mutuò, cum Domino turba redempta ſuo.*
*Congreſſiq; diu hærebunt amplexibus arctis,*
*Ingentes plauſus, & nova ſigna dabunt.*
*O fortunatos, quos ſpes ſolaminis hujus*
*Anxia, non vanâ credulitate fovet.*
*Namq; habitatum ibunt ſummi loca ſancta Tonantis,*
*Lucis inacceßæ, ſidereasq; domos.*
*Atq; iſthuc rediens* CHRISTUS *ſua pectora blandi*
*In gremium tradet Patris amica ſui.*
*Ille autem complexus eos, deterget eorum*
*Indulgens lachrymis ora rigata Pater.*
*Et deducet eos ad ſumma palatia cœli,*
*Hæredes Regni conſtituetq; ſui.*
*Qui ſtatus hîc, rerum facies qualisq; futura,*
*Effari, aut animo cernere nemo queat.*
*Hîc jam ſuccedet ſolatio, viſa nec unquam*
*Nec ſanctorum ullis auribus hauſta priùs.*
*Gaudia ſuccedent nunquam meditata, nec unquam*
*Sperata, immenſis tot cumulata bonis.*

*Omnes abſcedent luctus, & mæror acerbus,*
*Qui nunc noſtra gravi corda dolore coquit.*
*Ceßabit diræ triſtiſſima mortis imago,*
*Quæ grandem cunctis incutit usq; metum.*
*Ceßabunt Stygiæ ſedes, atq; oſtia Ditis;*
*Quorum nunc terror, poſteà luſus erit.*
*O tunc quanta voluptatis dulcedo beatæ*
*Iuſtorum afficiet pectora læta virum!*
*Quandò mortalis, nunc pus ignobile, fiet*
*Penè immortali par ſimilisq; Deo.*
*Quandò Deus cum gente hominum verſabitur ultrò,*
*Deget cum ſummo gens hominumq; Deo.*
*Divino, ſtabili, ſine fine fruentur honore;*
*Pleni divitiis, delitiisq; Dei.*
*Aſpicient ſedem, majeſtatemq; verendam,*
*Intuitu paſcent & ſua corda Dei.*
*CHRISTE veni, Rex ô finem da CHRISTE malorum,*
*Atq; tuos tantis affice, quæſo, bonis.*

Præmia CHRISTI, tùm hîc, tùm in futuro ſeculo.

*O homo! matre tuâ, patre, fratre, ſorore, relictis,*
*Quid CHRISTI renuis terga beata ſequi?*
*Vt vitam, moresq; tuos componere poſſis,*
*Ad vitam, & CHRISTI ſancta ſtatuta tui.*
*En hujus vitæ pariter, vitæq; futuræ,*
*Promittit CHRISTUS præmia quanta tibi?*
*Vel, Patres, matres, germanos, atq; ſorores,*
*Cæteraq; invenies pluria, dante Deo.*
*Contigit hoc nobis, qui ſcribimus iſta, reipſâ,*
*Pro paucis lictis plurima dona dedit.*

*Qui* CHRISTI *caußâ, patriâ, rebusq; relictis*
*Venimus huc, ipso nos comitante Deo.*
*Inter tot Patres, matres, fratresq;, sororesq;*
*In vera exigimus tempus amicitia.*
*Vel, si non fuerit tibi præstò Ecclesia* CHRISTI,
*In cujus possis delituiße sinu,*
*Conferet ille tibi* CHRISTUS *solatia tanta,*
*Quanta nec ipse potens Cræsus habere queat.*
*Quâ nil mundus habet, vel cælum carius ipsum,*
*Spem vitæ æternæ conferet ille tibi.*
*Post vitam æternam, quâ nil est carius usquam,*
*Auram divinam conferet ille tibi.*
*Hinc tibi conscia mens recti, vitæq; perennis*
*Omni jucundus tempore gustus erit.*
*Deniq; post obitum, supremaq; funera vitæ,*
*Te simul in Regnum transferet ille suum.*
*Ergò matre tuâ, patre, fratre, sorore, relictis*
*Quis renuat* CHRISTI *terga beata sequi?*
*Vt vitam, moresq; suos componere possit,*
*Ad vitam, &* CHRISTI *sancta statuta tui.*

## In CHRISTO solo renovatio.

IN *solo nostræ* CHRISTO *renovatio vitæ est;*
*Is nisi nos renovet, perdita maßa sumus.*
*Ille docet sanctæ præcepta salubria vitæ,*
*Quæ fugienda vetat, quæ facienda jubet.*
*Ille præit nobis, ille est ipsissima norma,*
*Ex quo virtutem discere quisq; queat.*
*Per vitæ ille juvat nos immortalis amorem,*
*Vt præstare homines, quæ jubet ille, velint.*

*Vires ille addit, per sanctam numinis auram,*
*Vt præstare homines, quæ jubet ille, queant.*
*Prisce vale Moses, qui nil renovare docendo,*
*Et qui perfectum reddere, nil potis es.*
*Vnicus est noster* CHRISTUS *renovator habendus,*
*Is nisi nos renovet, perdita turba sumus.*

Destitutum a Mundo ne destitue.

A*Bjecti sumus a mundo, spretiq; superbo,*
*Ob te, ac ob Verbi dogmata* CHRISTE, *tui*
*Quæ rabies, in eos odio flagrare nefando,*
*Immò de toto tollere velle solo?*
*Qui* CHRISTO *fidunt,* CHRISTUM *profitentur, & illum*
*Sectari satagunt proximiore loco.*
*Non detestandi, sed erant tibi prorsus amandi,*
*Qui* CHRISTUM *ex animo, Munde maligne, colunt.*
*Tu ne,* CHRISTE, *tuos mitissime desere, quos tu*
*Ex toto verbo colligis orbe tuo.*
*Saltem nos* CHRISTUS *vero amplectatur amore,*
*De te curamus munde superbe nihil.*

Viæ Domini.

Q*Vàm distat tua mens a nostra mente Supreme*
IOVA! *via a nostra quamq; aliena tua est!*
*Nos nostra a magnis ordimur rebus, & iidem*
*Ridiculè in parvis posteà desinimus.*
*A minimis ordiris tu tua rebus, & idem*
*Mirificè in summo desinis illa gradu.*
*Quæ nunc exequitur, Regni sub talibus orsis*
*Auspicia en Nati sunt agitata tui.*

*Ille fuit primùm femellæ pauperis infans,*
*Magne Deus, nunc est Filius ille tuus.*
*Ille domo procul exclusus, præsepibus usus,*
*In caula, inter erat pronaq; bruta satus.*
*At nunc divorum virtute receptus in aulam*
**IOVA*, tuâ, in gremio vivit, ovatq; tuo.*
*Ille foco caruit, feßus sua membra quieti*
*Quo daret, aut sanctum poneret ille caput.*
*Et Cœlum & Terram, Pontumq;, Erebumq; profundũ,*
*Omnia sub pedibus nunc habet ille suis.*
*Latrones fuit ille inter crucifixus, & idem*
*Mortuus, ac hominum more sepultus humi.*
*Nunc sedet a dextris Patris omnipotentis, olympi*
*Lucis inacceßæ, præcipuoq; loco.*
*Et sedet & regnat, nunquam moriturus, & idem*
*Est largiturus Regna beata suis.*
*Sic Rex sordidulo David ex pastore creatus*
*Suscepit populi sceptra gerenda tui.*
*Sic quoq; tu cùm vis ex cæno tollis egenum,*
*Constituisq; Ducem, Semideumq; facis.*
*Sic nos mortales vili de pulvere sumptos.*
*Vis immortales reddere, summe Deus.*

## In CHRISTI nomine congregari.

*Conveniunt quoties duo, tresvé in nomine* CHRISTI
*Hos inter medius sistere* CHRISTUS *avet.*
*Qui verò votisq; Deum, precibusq; fatigant,*
*Seu qui sancta Dei dogmata rite docent.*
*Seu qui participant de pane, liquoreq;* CHRISTI,
*Sive Deo grates convenienter agunt:*

*Seu quicquid faciunt, Domini quod ſpectat honorem,*
*Hi demùm in* CHRISTI *nomine conveniunt.*
*O medium noſtri te pectoris inſere* CHRISTE,
*Quandò tuo in ſancto nomine convenimus!*

## Ignorantia veritatis.

*O divinarum quanta in caligine rerum*
*Sunt, qui de* CHRISTI *nomine nomen habent:*
*Diverſi diverſa docent de rebus iisdem;*
*Hinc odii erga ſe ſemina concipiunt.*
*Rebus in exiguis, ſit diſcrepantia quamvis,*
*Hæc nullâ ferri quit ratione tamen,*
*O mores! ô tempora! quàm meliora fuêre*
*Secula, de quibus hæc metrica verba legis:*
Diverſum ſentire, Bonis, de rebus iisdem,
Incolumi licuit ſemper amicitiâ.
*Maxima ſit quamvis, tamen in duo, non malè,* CHRISTI
*Partiri a nobis pagina ſacra poteſt:*
*Ad veram quædam faciunt, ſpectantq; ſalutem,*
*Quædam concernunt Relligionis opus.*
*Et Promiſſa Dei, Præceptaq; noſſe, ſalutis*
*Sunt opus; absq; iſtis Chriſticola eſſe nequis.*
*Hæc præter quæcunq; vides myſteria* CHRISTI,
*Ad ſanctum illa refer Relligionis opus.*
*Qui Promiſſa Dei, Præceptaq; novit, & iſta*
*Sub Promiſſorum ſpe facit, is bonus eſt.*
*Ignoret quamvis arcana, abſtruſaq; multa,*
*Quæ ſpectant* CHRISTI *Relligionis opus.*
*Iã tamen hic* CHRISTI *eſt ſervus, tibi frater habendus,*
*Iam carus ſummi Filius ille Dei.*

*Ex* CHRISTI *famulis odiße quis audeat istum?*
*Audeat e cætu quis relegare Dei?*
*Ille quidem blando tibi frater amore docendus,*
*Percipere ut possit sensibus illa suis.*
*Si verò nequeat comprendere, porrò ferendus*
*Est tibi: nam Domino statq; caditq suo.*
*O utinam redeant illa aurea secla! quibus tùm*
*Sanctus Apostolicus vixit in orbe chorus!*
*Aut quibus haut longo post istum tempore, pleni*
*Numine Apostolici tùm viguêre viri!*
*Nam fuerat toto tunc cætûs vultus in orbe*
*Vnus, & una fides, & fuit unus amor.*
*Quicunq; in* CHRISTUM *verè credebat, & illi*
*Parebat, juxta sancta statuta Dei,*
*Frater habebatur, multorum ignarus eorum,*
*Sacrum quæ corpus Relligionis habet.*
*Nunc nisi quis credat quæcunq; docentur, ad ungvem*
*Omnia, mox audit pessimus hæreticus.*
CHRISTE, *chaos repara confusum, nam potes, ipse;*
*Aut revoca ad tua nos cælica Regna citò!*

O me restitue redivivum!

CHRISTE, *tui omnipotens Patris omnipotentis imago,*
*Cui rerum ipse Pater frena gerenda dedit.*
*Vivorum, & fato functorum quando redibis*
*Extremâ Iudex adveniente die.*
*Omnibus ex æquo dispensaturus abundè*
*Præmia, pro facto, seu bona, sive mala.*
*Esto mei, pie* CHRISTE, *memor tunc, rebus in orbe*
*Diffisus, soli qui tibi fisus eram.*

*Quiq́; tui cauſsâ, patriaq́; meiſq́; relictis*
*Ad vaſti veni diſſita regna ſoli.*
*Eſt ubi vera tuum ſpargens Eccleſia verbum,*
*Et monſtrans almæ dulce ſalutis iter.*
*Hîc vivo,& curſum perago,te dante,Miniſtri*
*Sancto perſungens munere,* CHRISTE, *tui.*
*Me ſive invenies facientem munia ſanctè,*
*Mutatâ formâ,transfer ad Aſtra Poli.*
*Funere ſeu merſum,redivivum rurſus in auras*
*Fac revoca,ora tui daq́; videre Patris.*
*Sic tibi,*CHRISTE,*Patriq́; tuo,de pectore grates*
*Non intermiſſo tempore, lætus agam.*

Extremo Iudicio nihil terribilius Malis, jucundius Bonis.

P*Rimæva immenſi quamvis ab origine mundi*
*Iudicia in terris ſæva fuêre Dei.*
*Ecquod diluvio Mundi interituq́; prioris*
*Sævius à Superis horridiusq́; fuit?*
*Ecquod pernicie Sodomæ,exitioq́; Gomorrhæ,*
*Quas mixto abſumſit ſulphure flamma vorax.*
*Ecquod Ieſſigenæ Gentis tot cladibus actæ?*
*Quarum nec finis,nec modus ullus adeſt.*
*Iudicio tamen hoc, quod creditur eſſe futurum,*
*Quo mundi totum diſſoluëtur opus,*
*Cum reliquis illud ſi vis componere cunctis,*
*Sævius hoc nihil eſt, horridiusq́; nihil.*
*Cælum ſigna dabit,Sol obſcurabitur,aſtra*
*Cuncta ruent,nimio terra fragore tremet.*
*Cæruleum tumidis agitatam fluctibus æquor,*
*Acriſonâ totam voce replebit humum.*

*Ignibus ardebunt ferventibus orbis & Æther,*
*Ardebit terra, & cætera quicquid habet.*
*Et* CHRISTUS *veniens in nubibus, integer orbis*
*Arbiter, Angelico concomitante choro.*
*A dextris alios, alios statuetq; sinistris,*
*( Dextra bonos capiet nempe, sinistra malos)*
*Tunc hos à dextris sic compellabit amicè*
*Mulcendo blandis pectora fida sonis:*
*A facto mundo jam designata, beati*
*Nunc ad sancta Patris regna venite mei.*
*Nam vos confisi mihi, morigeriq; fuistis,*
*Inter vos etiam mutuus ardor erat.*
*Hos autem a læva sic compellabit acerbè,*
*Terrendo rigidis perfida corda sonis:*
*Ad loca designata malis, horrentia Ditis,*
*Ite execrati, Tartareasq; domos.*
*Nam mihi diffisi, sprevistis sancta Parentis*
*Iußa mei, nec vos mutuus ussit amor.*
*O quàm terribilis lux ista futura malignis,*
*Quæ paritura est tàm flebile dissidium.*
*Qui cupis, ut tibi sit lux hæc faustißima, summo*
*Fide Deo, & sanctæ rem pietatis age.*

## De Providentia CHRISTI circa fideles.

*CArmine fer super astra tuum ô Ecclesia Regem,*
*Et summo illius nomen honore cole!*
*Ille tui vigilem curam gerit, omnibus horis,*
*Ille tua, è cælis, damna futura cavet.*
*Huic conceßa fuit postquam sacra regia cæli,*
*Consedítq; potens in Patris ille throno,*

*Illius in rebus, perspecta fidelibus, arctis,*
*Non ex difficili provida cura fuit.*
*Scilicet ad nostram spectant quæcunque salutem,*
*Ornabat cunctis & dabat ille suis.*
*Ex illo in Sponsam fluxerunt commoda cuncta,*
*Ex capite in corpus ceu fluit omne bonum.*
*Præcones Evangelii, fidosq́ patronos,*
*Non intermisso tempore, quippe dabat.*
*Nec minùs & sanctam divini numinis auram,*
*Quando necesse fuit, omnibus ille dabat.*
*Ac non tantùm animæ caram Rex iste salutem,*
*Illorum pariter corporis idem habuit.*
*Protexit positos vario in discrimine vitæ,*
*Tutam evadendi sæpè deditq́ viam.*
*Ille tyrannorum technas elusit & artes*
*Sæpè, nocere quibus dira libido fuit.*
*Consilium adversus* CHRISTI, *decretaq́ sancta,*
*Nil consulta hominum, nil valuêre doli.*
*Hos etiam jam constrictos, & carcere clausos,*
*Sæpè relaxavit, carcereq́ eripuit.*
*Ille quibusdam aliis funesta ad fata vocatis,*
*Tam fortes animos, magnanimosq́ dedit,*
*Oppetere ut pulchram pro* CHRISTI *nomine mortem*
*Expeterent, summum glorificando Deum.*
*Ibant gaudentes, & spe sua damna levantes,*
*Incensis dantes oscula blanda rogis.*
*Nunc etiam Christus Rex idem est omnibus ille.*
*Qui semper populum curat, amatq́ suum.*
*Est vigil illius custos utriusque salutis,*
*Ad partem Regni quem vocat ille sui.*

*Ille sui verbi vexillum collocat inter*
*Iuratos hostes, inter & arma virûm.*
*Impia turba fremit, furiarum fluctibus acta,*
*Cursum Evangelii præpediisse volens*
*It labor in ventos, conatus inutilis omnis,*
*Non profecturo vomere littus arant.*
*In medium contra coëunt pietatis amantes,*
*Consilium capiunt, insidiasq́ struunt.*
*At vindex scelerum, qui conspicit omnia,* CHRISTUS,
*Consilium in risum vertit, & insidias.*
*O quoties nobis pavidum incußêre timorem?*
*Ante oculos quoties mortis imago fuit?*
*Imbelles contra cùm conspiraret in unum*
*Multa malignorum vis inimica Virûm.*
*Gratia,* CHRISTE, *tibi, manet ecce Ecclesia tuta,*
*Totaq́ libertas hactenus ecce manet.*
*Quos tenuit pia cura Dei, Pietatis & ardor,*
*Iactati variis sæpe fuêre malis.*
*Rex tamen his aderat* CHRISTUS, *dexterq́ favebat,*
*Spem præter, præsens auxiliumq́ dabat.*
*Ergo pusilla Dei quid nunc Ecclesia curas*
*Hostiles animos, quid metuisq́ minas?*
*Quùm tantus pro te vigil Induperator Olympi*
*Excubias omni tempore* CHRISTUS *agat.*

## Gratiæ CHRISTO pro salute.

NOster *amor, sobolesq́ Dei dulcissima, qui nunc*
*Cum Patre omnipotens omnia regna tenes:*
*Pro tanta grates canimus tibi,* CHRISTE, *salute,*
*Quâ nos demulces, cordaq́ nostra foves.*

*Hanc manifestâsti tu nostro primus in orbe,*
*Ad fragiles missus terrigenosq; viros.*
*Hanc ostendisti tetro revocatus ab Orco,*
*Omnipotente Dei vi validaq; manu.*
*Hanc tu magnificè gestas, servasq; potenter,*
*Omni credenti deinde daturus eam.*
*Caussâ adipiscendæ tantæ tu* CHRISTE *salutis,*
*(Nam potes) in cœpta nos pietate juva.*
*Affectus fac possimus compescere nostros,*
*Promissamq; tibi continuare fidem.*
*Iustus & immensi Iudex cùm veneris orbis,*
*Ad dandum cunctis præmia digna viris,*
CHRISTE, *mori si contigerit quàm veneris antè,*
*De gelidis iterum nos revocato rogis.*
*Et si contigerit producere tempora vitæ,*
*Mutato tecum corpore in astra refer.*
*Perpetuo de fonte fluens ubi vita perennis,*
*Cuncta voluptatum sunt ubi plena Dei.*
*O tantæ nobis sit summa cupido salutis*
*Semper! & hinc summus sit pietatis amor!*

## Oratio pro conversione hominnm.

O *Deus omnipotens, hominum rerumq; benigne*
*Author, & humanæ gentis amator, ades.*
*Respice nos, in qua resides, de sede beata,*
*Atque tuo nobis numine dexter ades.*
*Heu, quàm nunc multos veri caligo fatigat!*
*Quàm nunc penè omnes devius error agit!*
*Decessere Dei sacro de tramite verbi,*
*Ingressi humanæ traditionis iter.*

*Paucos*

*Paucos vera tenet ſaaiendæ ſcilicet almæ*
*Cura voluntatis,conſiliiq; tui.*
*Immundi ſummo Mundi capiantur amore,*
*Et deſiderii quod jubet ardor agunt.*
*Tantorum Deus ô hominum miſereſce malorum,*
*Cœcaq; colluſtra Dogmate corda tuo.*
*Nam quis te præter tantam reparare ruinam*
*Aut queat humanum reſtituiſſe genus?*
*Multa quidem eſt meſſis, meſſorum at copia parva,*
*Qui meſſum tritici ſemina pinguis eant.*
*Hos ad opus tàm grande tuo cum Numine mitte,*
*Vt ſit frumentis area plena tuis.*
*Ceu nos incertis actos erroribus, ultrò*
*Duxiſti in verum Paſtor ovile tuum.*
*Sic alios etiam, cœleſtia verba docendo,*
*Compelle ad Templi limina ſacra tui.*
*Hi quoque ſunt à te populus Deus alme creatus,*
*Pro quibus haut renuit* CHRISTUS *obire necem.*
*Agnoſcant qui ſceptra gerunt, agnoſcat & ipſa*
*Iuſſa voluntatis ſubdita turba tuæ.*
*Arce funeſtos horum à cervicibus hoſtes,*
*Quos dominari animis dira libido tenet.*
*Omnibus eſto bonus, commiſſa piacula dele*
*Cuncta,quibus bilem commeruêre tuam.*
*Ereptos toto de mundo collige multos*
*Hæredes Regni, pignora cara, tui.*
*Facq; iſtud propere,nec plures differ in annos;*
*Tarda mora in tantis noxia rebus ineſt.*
*Idq; tuæ laudis divinum propter honorem,*
*Innumeres Regni municipiiq; tui.*

## CHRISTUS meritò amandus & colendus.

*QVis te non redamet, tàm tristia,* CHRISTE, *subire*
*Quem nostri caussâ fata coëgit amor?*
*Quis non toto animo tàm spirituale sequatur,*
*Quod promulgâsti, Relligionis opus?*
*Quod tu promittis, non est mortale brabeum,*
*Sed cœleste Dei perpetuumq́; bonum.*
*Tu Patris decreto, interveniente supremæ*
*In cruce suscepto mortis agone tuo,*
*Nunc immortalis factus, solioq́; receptus*
*Patris, cum cœlo cuncta creata tenes.*
*Nemo,* CHRISTE, *tuis invicte resistere votis,*
*Nemo queat vires aut cohibere tuas.*
*Quæ præstare potest summus Deus ille Deorum,*
*Præstare hæc eadem tu quoque,* CHRISTE, *potes.*
*Magna est disparitas personas inter utrasque,*
*Summa in vi paritas omnipotente tamen.*
*Ex immortali promanant omnia Patre,*
*Per te promanant omnia,* CHRISTE, *bona.*
*Immo loco Patris in sancto facis omnia Regno,*
*Scrutator populi Rexq́;, Caputq́; tui!*
*Omnia tu donas quæ munera nutrit Olympus,*
*Tu confers auram Patris, ab arce poli.*
*Mutua quæ nunc sunt reddes rediviva tuorum*
*In formas vertes corpora viva novas.*
*Municipes facies nos hæredesq́; Parentis,*
*Atq́; cohæredes, maxime* CHRISTE, *tuos.*
*Ergo tàm magni Domini, Regisq́; potentis,*
*Quis non eximio flagret amore tui?*